

10. *piam, vitiis deniqve virtutem postponere meritò videatur. (10.)*
 Neqve verò res aliter evenire ullo modo potest; prisci namq; nostris destituti fuerunt ingeniis, nostris monumentis ac libris, nostris deniqve instrumentis & adminiculis; nos autem & illorum & nostris uti fruiq; possumus pariter. Illi unicâ duntaxat alâ ferebantur ac anchorâ, nos duabus innitimur, quarum remigiò ad ea hodiè felicissimo successu accessum est, quæ ingenii humani limites videbantur prorsus excedere, quorumq; nil nisi desiderium ab antiquis ad nostram permanavit ætatem. Adeò, ut si quis nostrum hoc, nondum exactum, seculum, non dicam cum ullò, sed cum prioribus omnibus conferat, tantam ubertatis prærogativam hodiè deprehensus sit, ut licet omnia prischorum inventa apponantur & appendantur unâ librâ, licet adficiatur iis, tanquam non leve *Ἰπίμετρον* omnis rerum deperditarum exigentia, noviter tamen inventarum copiam, alterâ lance libratam, præponderare eventus doceat.

Quamobrem cum De INVENTIS SECVLI NOSTRI verba nunc facere constituerim, ipsa verò sibi obstat multitudo, omnibusq; non explicandis, sed ne quidem perstringendis, neq; ego, neq; angustum dimidiæ horulæ spatium, neq; Vestra deniq; *Auditores omnium Ordinum Splendidissimi, Honoratissimiq;*, patientia sufficiat, segregavi quædam, quæ credidi esse palmaria, tantoq; largiorem à Vobis mihi polliceor favorem, quantum jucundiora sunt ea, quæ selegi. Adeste igitur æquis animis, & rem cognoscite, defectusq; meos affectu Vestro benevolè sublevate!

* * *

VT autem ab ovo, quod ajunt, exordiar, inter palmaria seculi nostri Inventa principem locum jure suo occupat ipsa Inveniendi ars, quam inter desiderata hæctenus meritò reposuit Summus ille Angliæ Cancellarius, Verulamius. Quemadmodum enim priorum temporum Philosophi aliqui experientiam fermè avellebant à ratione, ita multò
 plures